

paradisum significat, secum fore professus est, medium hoc ipso inter coelum et infernum locum negauit.

*Cont. Psy-  
chopanny-  
chitas.*

§. 7. Veteres *Psychopannychitae* et hodierni quidam vel clam vel palam sentiunt, animas hominum piorum vel impiorum *deferri* statim a solutione sua a corpore in *commune* quoddam *receptaculum*, ibique detineri ad *diem* vsque *extremi iudicii*, ita, vt in hoc loco *neque bene ipsis sit, neque male, sed dormiant* quasi, neque vllas exercent actiones vitales. *Probant*

I. *Ab vniuersis locis, vbi pii simul et impii descendere dicuntur in locum vnum, הַנְּשׁוּתָא qui quia piis communis sit, neque coelum, neque infernum esse possit.*

*Resp.*

הַנְּשׁוּתָא in genere hebraeis significat non locum, sed statum demortuorum. Vnde de piis et impiis dici potest, quod veniant in statum defunctorum communem. Omnes enim sunt mortui, omnes corporibus exuti, omnes ex hac terra sublati. Vnde cum ad particularem demortuorum statum pro ratione subiectae materiae determinatur, modo sepulchrum significare potest, modo infernum.

II. *Ex Hebr. XIII, 9. vbi dicuntur animae nondum obtinuisse promissum, i. e. vitam aeternam, neque absque nobis posse consummari.*

*Resp.*

Loquitur apostolus non de gloria promissa, sed de gratia N. T. euangelica per CHRISTVM

STVM